

condignam firmiter observari; tamen ad audientiam nostram fama publica referente est deductum, quod nonnulli processus sint et dudum fuerint per dominum Nicolaum de Gitzcin officialem curiae Magdeburgensis ex sinistra informatione contra formam mandati apostolici et iuris ordine non servato in grave praeiudicium et gravamen honorabilis viri domini Michaelis praepositi dicti monasterii in Liptzk promulgati minus provide et inadvertenter ac emissi. Idcirco vobis omnibus et singulis supradictis in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena, quam in vos et quemlibet vestrum trium tamen dierum et canonica monitione praemissa ferimus in his scriptis si mandatum nostrum immo verius apostolicum non adimpleveritis requisiti vel requisitus cum effectu, districte praecipiendo mandamus, quatenus praedictum fratrem Vlicum dictum de Maltitz latitantem infra terminos vestrarum parrochiarum personaliter si commode haberi poterit vel saltem adeo publice et notorie in ambonibus vestrarum ecclesiarum infra missarum sollempnia vel cum maior multitudo populi aderit alta et intelligibili voce, ita quod ignorantiam praetendere non poterit, citetis quem et nos citamus peremptorie per praesentes, ut feria secunda post Judica seu prima die mensis Aprilis coram nobis Hallis in ambitu monasterii sancti Mauricii compareat ad videndum et audiendum, dictos processus et quidquid ex eis secutum est veluti contra tenorem et formam mandati apostolici et per errorem ac in inadvertentiam minus provide latos in quantum de iure fieri poterit retractari, vel ad dicendum causam quare fieri id non debeat et alias procedendum ad ulteriora in dicto negotio, prout forma mandati apostolici exigit et requirit. Litteram reddite sigillis vestris sigillatam in signum executionis per vos factae sub poenis supradictis. Datum Hallis anno domini M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> LXX<sup>o</sup>. XV. die mensis Marcii sub secreto honorabilis viri domini P. praepositi Mersburgensis, quo propter carentiam nostri proprii sigilli utimur ista vice.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. Drei an Pergamentstreifen befestigt gewesene Siegel sind abhanden gekommen; von einem neben dem dritten aufgedrückt gewesenen sind noch die Ränder zu erblicken. Auf der Rückseite waren gleichfalls zwei Siegel aufgedrückt, von deren erstem noch Wachsspuren zurückgeblieben sind.

No. 131. 1370. 1. Apr.

*Johannes, Probst des Moritzklosters zu Halle und Commissar des Erzbischofs Albert von Magdeburg cassirt die Processhandlungen des Officials Nicolaus von Giczin und stellt das Privationsurtel wieder her.*

In nomine domini amen. Quia nos Johannes dei gratia praepositus monasterii sancti Mauricii canonicorum regularium opidi Hallensis Magdeburgensis diocesis iudex et commissarius a reverendo in Christo patre ac domino domino Alberto sanctae Magdeburgensis ecclesiae archiepiscopo ad infrascripta a sede apostolica delegato subdelegatus ex actis instrumentis et testium depositionibus in causa quae olim vertebatur coram venerabili in Christo patre ac domino domino Frederico episcopo Merseburgensi inter fratrem Vlicum de Malticz quondam praepositum ex una et priorem ac conventum monasterii sancti Thome apostoli canonicorum regularium in